



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 27. Dissidum inter Lusitaniæ, & Hungariæ Regum Oratores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](#)

cupiscentias ambulantes, *hinc tam longe, Sæcul. XVI.*  
*lateque pervagatum est incendium, &c. A.C. 1562.*

§. XXVII.

*Diffidium inter Lusitanæ, & Hun-*  
*gariæ Regum Oratores.*

Peracta re divina, precibusque pro *Pallav. l.c.*

more recitatis in hac Sessione præ-  
primis Oratorum mandata, ac publicæ  
facultatis literæ prælegebantur, & qui-  
dem primo Massarelus, qui Patribus  
ab epistolis erat, recitabat duo illa man-  
data, quorum unum Ferdinandus Cæ-  
sar nomine Imperii Miglitio Pragensi  
Archiepiscopo, ac Sigismundo de  
Thun ejus socio, alterum vero pro  
Hungariæ Regno Dracovitio Quinque-  
ecclesiensi Episcopo dederat: verum Ma-  
scarenius Lusitanæ Orator demandatæ  
sibi facultatis diploma nec tradere, nec  
prælegi voluit, questus, quod per nu-  
peram mandati lectionem suo Regi Hun-  
gariæ Rex fuisse antepositus, hac au-  
tem ratione suo Principi ingens honoris  
damnum inferretur: ast Massarelus  
eidem reponebat, hac mandatorum reci-  
tatione Regis Lusitanæ prærogativis om-  
nino nil derogari, cum Romanæ curiæ  
mos suaderet, ut illorum Oratorum,  
qui primi Romam perveniunt, man-  
data prius prælegerentur, quæ etiam  
consuetudo in præsenti Concilio obser-  
vata

Sæcul. XVI vata esset: cum autem hic Lusitanus  
A.C. 1562 nec latini, nec Itali sermonis gnarus  
 esset, propositis Massareli rationibus,  
 quas neutquam comprehenderat, nullatenus cedebat, sed aucta animi sui  
 commotione iram haud ponebat, donec  
 Legati Pompæum Zambeccari Sul-  
 monæ in Apprutto, ac Neapolis Re-  
 gno Antistitem Lusitani idiomatis probe  
 gnarum, necnon Casparum Caſalium  
 S. Augustini Religiōsum, & Lerienſem  
 Episcopum rōgarent, ut Interpretes age-  
 rent, atque Oratori rem explicarent:  
 quo facto Lusitaniæ Orator suam agendi  
 facultatem exhibuit, ea lege, ut Secre-  
 tarius, priusquam hoc diploma præ-  
 legeret, palam testaretur, quod Hun-  
 gariæ Regis literas non alia ex cauſa  
 prius recitasset, quam ex hac, quod il-  
 lius Orator Tridentum prior adventas-  
 set, hæcque agendi ratio nullatenus  
 Lusitaniæ Regis dignitati, qua Hun-  
 gariæ Regem præcedit, deroget.

Verum Dracovitus, qui e regione  
 Lusitani Oratoris confederat, ac non  
 sine indignatione hanc contentionem  
 adeo frivolis rationibus innixam percep-  
 erat, ne ejus adversarius emendatio-  
 nem in suo mandato per Massareum  
 prælecto factam in rem suam verteret,  
 veritus, adversus hucusque acta, &  
 alia similia in posterum agenda recla-  
 mabat:

mabat: mox tamen Madrutius Cardi- Sæc. XVI.  
 nalis proprius Quinqueecclesiensem Epi- A.C. 1562.  
 scopum accedens eidem exponebat, quod  
 tum utilissima ratione Ferdinando Do-  
 mino suo infervire posset, si potius Con-  
 cilii utilitatem totis viribus promove-  
 ret, quam vanis oppositionibus tempus  
 frustra tereret. Huic monito quanto-  
 cius acquievit Dracovitus, auctoritate,  
 Regisque sui dignitate palam amplis elo-  
 giis celebrata.

Postea diversæ prælegebantur literæ  
 Pontificis, qui librorum prohibitorum  
 indicem conficiendi curam Synodo re-  
 mittebat, eoque facto aliud recitatum  
 fuit ejusdem Papæ diploma circa Sta-  
 tiones pro more Romano durante verno  
 jejunio Tridentinis concessas: denique  
 tertium producebatur diploma de or-  
 dine, quem Episcopi juxta electionis  
 suæ antiquitatem servarent, nulla ha-  
 bita ratione privilegiorum, quæ Prima-  
 tes obtenderent: his ita dispositis Pa-  
 triarcha Jerosolymitanus, qui rem di-  
 vinam solemni ritu peregerat, consenso  
 suggestu sequens decretum de librorum  
 prohibitorum Indice prælegit.

### §. XXVIII.

*Decretum de librorum delectu, & om-  
 nibus ad Concilium fide  
 publica invitandis.*

*Sacro-*